



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

VIII. An Prælatus Religionis potestatem habeat obligandi subditos in
conscientia, quando & quomodo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

VII.
i. Pronun-
tium in
hoc con-
silio.

Ut autem quod sentio dicam, ubi electiones, pre-
sertim faciendæ à Capitulis, aut cōgregatione mul-
tarum personarum, vitari possunt, per se loquen-
do, & convenientius, & statui religioso magis con-
sentaneum est, ut praelationes nō sint perpetuæ. Ad
hoc sentiendum persuadeor rationibus posteriori
loco factis. Quibus addo, statum religiosum nō esse
per se statum praelationis, sed subiectionis, & humi-
litas, solumque ob necessitatem praelationem ad-
mittit: valde ergo consentaneum est illi statui, ut
quantum fieri possit, nullus religiosus sit semper
praelatus. Deinde hoc modo magis conservatur æ-
qualitas, quæ ad religiosam claritatem necessaria
est: dum enim qui hodie præest, cras subiectus & a-
liis æqualis conspicitur, & ipsi, qui præfunt pro illo
tempore non nimium efferuntur, & alij postea de
eorum æqualitate plurimum ædificantur. Item,
religiosa gubernatio magis in charitate, quàm in a-
liis humanis respectibus fundari debet: quod si ita
fiat, non minori cura, & sollicitudine assumetur,
quàm si perpetuò duratura sit: si autem alia inten-
tione, vel respectu fiat, eo ipso multum expedit, ut
non sit admodum diuturna, nam quò plus dura-
rit, eo in deterius verget. Similesque rationes pos-
sunt facile considerari, neque in rationibus, quæ in
contrarium fiebant, aliqua retinet vim, nisi illa for-
tasse, quæ sumebatur de necessitate experientie. Ad
quam in primis dicimus, hoc incommodum (cū
omnia vitari non possint) in primis raro esse magni
momenti, & aliquando dissimulandum esse, & aliis
mediis supplendum. Deinde non in omnibus, sed
in his, qui primò gubernare incipiunt, hic defectus
locum habet, & regulariter non multo tempore
durat: nam res pertinentes ad vnam domum reli-
giosam tantæ non sunt, quin brevi tempore per ex-
perientiam agnoscantur, & qui in aliquibus domi-
bus expertus est, facile vnius provincie experientia
comparabit. Denique, inexperti pro illo tempore
iuvare possunt prædecessorum exemplis, & præsen-
tium consiliis, & Praelatorum sibi superiorum mo-
nitis: quibus omnibus si obediatur, non multum er-
rabit.

Ad contra-
rias rationes
in n. s.

VIII.
Secundum
Pronun-
tium iuxta
quod præce-
det opinio
Nan.

Secundò nihilominus assero, ubi praelaturæ per
electiones conferendæ sunt, moraliter loquendo,
consultius esse, ut sint vel perpetuæ, vel admodum
diuturnæ. In hoc assentior sententiae Nauarri, pro-
pter damna & pericula electionum, quæ tam in-
trinseca esse videntur, supposita hominum fragili-
tate, & experientia, ut longè difficilior videatur il-
la vitare, quàm illa, quæ ex perpetuitate, vel diu-
turnitate praelationis sequi solent. Atque ita vide-
mus quamplures ex religionibus, in quibus praela-
tiones temporales sunt, vel abstulisse electiones,
vel reduxisse illas ad concilium aliquod paucarum
& grauium personarum, in quo facilius sit vitare
electionum incommoda, vel ex parte eligentium,
aut eligendorum, ita vel personarum numerum,
vel tempus ac modum electionis coarctasse, ut ne-
gociationes electionum, quoad fieri possit, præca-
ueantur. Quòd si religiones aliquæ simpliciter reti-
nent conuentuales, & frequentes, seu triennes e-
lectiones praelatorum, id fortè est vel quia non pos-
sunt commodè aliter sibiipsis providere, ut de mo-
nasteriis monialium probabile est, vel quia nondū
sunt expertæ incommoda, sed in simplicitate, &
puritate religiosa omnia efficiant: quod desidera-
bile est.

Ultimò verò interrogare quis potest, estd praela-
tiones hæ temporales sint, quis modus limitationis
earum magis expedit. Duobus enim modis intel-
ligi potest praelationem esse temporalem, scilicet,
vel quia est ad certum, & definitum tempus, vel in-
definitè ad arbitriū alicuius. Quis ergo ex his mo-
dis melior existimandus erit? Possent ad vtramque

partem coniecturæ adduci, nam res etiam est arbi-
traria, & prudentialis. Illis tamen omisissis respon-
deo, priorem modum per se, & ex suo genere vide-
ri meliorem. Hoc suadet in primis consuetudo, nā
ferè ab omnibus religionibus ita seruatur. Deinde,
ubi hæ praelationes infra supremam (de his enim a-
gimus) per electionem prouidentur, non debet alicui per-
sonæ committi, alioqui veluti noua electio et com-
mitteretur. Quòd si illud arbitrium eiusdem con-
gregationis futurum sit, cuius fuit electio, perinde
erit illud ferre ac de nouo eligere, & tunc melius e-
rit ut omnino libera sit electio, ne difficile, aut one-
rosus sit Superiorem mutare, si expedit, dum nō
sine aliqua infamia, vel nota fieri videtur, quando
tempus non est lege præscriptum. Adde præterea,
in multis religionibus statum esse, & ab Aposto-
lica sede approbatum ut idem praelatus non iterum
statim eligatur, sed post elapsum aliquod tempus:
ergo lignum est, per se loquendo, melius esse ut ali-
quo tempore vacet, ergo etiam erit melius ut tem-
pus praelationis præfixum sit. Vbi autem praelato-
nes conferuntur ab vno superiori capite, facilius
posset tempus, seu terminus eius eiusdem arbitrio
committi, tamen rationes factæ suadent, etiam ibi
determinationem temporis esse meliorem, tum
quia etiam ibi expedit aliquando cessare, seu inter-
mitti officium, & hoc esse à lege statutum: tum etiā,
quia ita liberius fieri poterunt mutationes abique
nota eorum, qui auferuntur, & absque graamine
Superioris, qui hoc modo nullius offensionem in-
curreret, mutationes suis temporibus faciendo. Tol-
lentur etiam occasiones vel accipiendi personarum,
vel certè murmurationum, &c. Cū autem dici-
mus, tempus debere esse limitatum, ut, adueniente
præfixo termino, statim ipso facto praelatio vacet,
fortasse enim hoc non semper expedit: satis ergo
erit quod statim sit noua prouisio faciendā, nec
possit secundum statuta notabiliter differri in par-
ticulari ergo, iuxta varias religionum condiciones,
& circumstantias, poterit vnum, vel alterum expe-
dire: quod autem in vnaquaque fuerit statutum id
maximè obseruandum est.

CAPVT VIII.

An Praelatus Religionis potestatem habeat ob-
gandi subditos in conscientia, quando, &
quomodo.

IN superioribus capitibus solum explicauimus ne-
cessitatem, & consequenter etiam varietatē ho-
rum Praelatorum, ubi simul (si quis attente conti-
deret) declarauimus causas, & originem harū prae-
lationum: nunc superest ut explicemus, quid sit
hoc munus? quod faciemus explicando potestatem
eius, nam totum in potestate consistit, seu per illam
formaliter constituitur; & quoniam potestas ex ac-
tibus cognoscitur, simul etiam actus huius pote-
statis, & effectus declarabimus; ad quos actus tenet-
ur hi Praelati ex speciali obligatione sui muneris,
& ideo simul de eorum obligationibus dicemus,
quatenus Praelati sunt, nam ut homines, vel re-
ligiosi habent obligationes cæteris communes. Sup-
ponimus autem ex dictis in superioribus, esse in hiis
Praelatis duplicem potestatem; dominatiuam, &
iurisdictionis: de quarum distinctione nunc non a-
gimus, nam satis intellecta iam est. Præcipue ergo
agimus de potestate iurisdictionis: nam altera, qua-
tenus habere potest actum veluti præfixum à iuri-
dictione, explicata est partim tractando de irrita-
tione vororum religiosorum, partim tractando de
voto obedientie: quatenus verò coniungi potest
cum

eum potestate iurisdictionis, simul cum illa explicabitur. Potestas autem iurisdictionis, licet secundum adaequatam rationem una sit, tamen in ordine ad varios actus tanquam multiplex concipitur: sic enim distingui potest hæc potestas in voluntariam, vel non voluntariam: directivam, & coactivam: ligandam, aut solvendi, vel dispensandi: de quibus omnibus dicendum est per sequentia capita, ac primam de illa quam in titulo proposuimus.

II.

In omni regimine prima potestas & maxime necessaria est directiva, ad quam pertinet non solum consilia (hoc enim sine speciali potestate fieri potest) sed etiam leges, seu præcepta ferre: hæc ergo in primis requiritur in religioso praelato. Sit ergo certum, posse Praelatum religionis in conscientia obligare subditum per legem, vel præceptum suum iustum. Hoc est certum, & commune apud omnes Doctores, quos referre non est necesse, quia res videtur certa de fide, supposito vniuersali consensu Ecclesie, & vero statu religioso, eiusque institutione, & approbatione. Itaque duplex est titulus huius potestatis. Prior est votum obedientie, & de hoc sufficiunt quæ de illo voto diximus: quia subditum obligari hoc voto, & Superiorem posse ex illo obligare, comparatur sicut actio, & passio; non enim potest subiectum pati, nisi potestas sit in agente: ergo non potest subditus obligari, nisi esset potestas in Praelato ad obligandum. Ostendimus autem supra, tom. præced. religiosum obligari ex voto ad parendum: ergo & Superior potest illum, obligare; obligatio autem ex voto est in conscientia: ergo Praelatus potest in conscientia obligare. Contendere autem quis posset tunc non obligare Praelatum, sed votum ipsum; Praelatum autem solum veluti explere conditionem, sine qua votum non obligaret. Sed hoc solum est de verbis contendere: fatemur enim illam obligationem hoc titulo consideratam provenire ex voto; tamen quia votum ipsum non obligat ad talem actum, nisi medio imperio Superioris, & ideo merito dicitur Superior habere potestatem ita præcipiendi, ut alter in conscientia parere teneatur, siue Praelatus propriè obligationem imponat, siue exhibeat materiam, cui veluti inheret obligatio ex voto. Omitto quæstionem, an ibi interueniat etiam obligatio iustitiæ ratione traditionis: nam de illa satis dictum in superioribus est, & totam illam, qualiscunque sit, sub voto nunc includimus.

Contestatio de veritate tituli.

III.

Conceditur titulus oblationis.

Alter titulus huius obligationis est iurisdicção Ecclesiastica his praelatis concessa. Qui titulus pendet ex duobus principiis. Vnum est de iure, scilicet, Ecclesiasticam iurisdictionem esse sufficientem ad obligandum in conscientia per leges, seu præcepta. Et hoc est de fide certum, pertinet tamen propriè ad materiam de Legibus, vbi latè illud tractauimus lib. 4. c. 18. & ideo nunc solum id supponimus. Aliud principium est de facto, scilicet, Praelatis religionum communicatam esse iurisdictionem Ecclesiasticam, ad hunc actum sufficientem; hoc autem constat ex vñ Ecclesiæ, & ex indultis, & priuilegiis singularum religionum.

Et latè tractauimus sup. cap. 1. Ergo ex his duobus principiis manifestè cõcluditur, esse in his Praelatis potestatem obligandi in conscientia per præceptum. Dicitur potest, dari posse iurisdictionem ad alios actus, non verò ad tam grauem obligationem imponendam, nam ad hoc requiritur valde perfectior iurisdicção. Sed hoc non rectè dicitur, tum quia eodem modo, quo constat, Praelatos religionum habere hanc iurisdictionem; constat etiam illam extendi ad hunc actum, tum etiam, quia sæpè imponunt præcepta sub pena excommunicationis: tum præterea, quia illa iurisdicção est quasi Episcopalis, ut diximus; vel quia licet hæc iurisdicção vi-

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

deatur valde perfecta, habet tamen latitudinem, & gradus, & secundum aliquem necessaria est in quolibet habente veram iurisdictionem gubernatiuam.

Vnde ad maiorem huius rei veritatem obseruare oportet, aliud esse præceptum personale, aliud verò statutum per modum legis. Priori modo possunt præcipere etiam in conscientia omnes, qui habent iurisdictionem aliquam; magis autem, aut minus iuxta modum iurisdictionis: posteriori autem modo non omnes, sed illi, qui habent principalem quãdam iurisdictionem, qualis requiritur ad leges ferendas. Sic ergo in religione omnium Praelatorum est mouere suos subditos per præcepta obligantia in conscientia cum proportionem suæ iurisdictionis: nam Praelati conuentuales solum in religiosos sui monasterij, & in rebus ad illud pertinentibus, Prouincialis in sua prouincia, Generalis in tota religione uti potest potestate sibi concessa. Ad faciendâ autem statuta perpetua, quæ vim habeant, & rationem legis, nec inferiores Praelati, nec Prouinciales ordinariam potestatem habent. Dices, Episcopus potest condere similia statuta; isti autem praelati, præsertim Prouinciales, habent Episcopalem iurisdictionem: ergo poterunt statuta perpetua facere. Respondetur negando consequentiam, quia non in omnibus habent parem, aut similem potestatem, ideoque non Episcopalem, sed quasi Episcopalem iurisdictionem habere dicuntur. Episcopi ergo habent per se ac immediatè iurisdictionem à Summo Pontifice, & illi etiam immediatè subsumunt, ideoque per se habent iurisdictionem ad condenda statuta; sunt enim quasi Ecclesiæ Principes sub supremo capite: Prouinciales autem religionum non immediatè à Papa, sed vel à Generali, vel à sua religione habent iurisdictionem, subiectam etiam, & dependentem à Generali, & ideo non conceditur eis iurisdicção sine Generali ad condenda statuta; quæ res grauißima, & quæ concernit totum corpus religionis. Quin potius neque ipsi Generali sine vniuersali cõuentu solet tanta facultas dari: quia licet ille sit veluti proprius Episcopus totius religionis immediatè constitutus sub Pontifice summo; nihilominus non est simpliciter supremum tribunal ipsius religionis, nam Capitulum generale superius est: & ideo regulariter illi reseruat hanc potestas, quæ à Iuristis dicitur esse meri ac mixti imperij: est ergo hoc valde consentaneum rationi, & instituto ac moribus religionum.

Non vero per statuta etiam prouinciales.

Tota nec Generalis ex vñ capituli generalis.

V.

Dices, hoc habere locum in statutis, quæ sunt pro toto corpore religionis: secus verò esse de statutis singularum Prouinciarum, vel nationum. Respondetur in primis, vnam religionem, quæ sub vno Generali militat, & in vnum generale Capitulum interdum congregatur, esse vnum corpus politicum, quod seruare debet vnitatem quoad fieri possit, & ideo regulariter expedire, ut non solum substantia regula, sed etiam perpetua statuta & leges, seu constitutiones eadem in tota religione sint, & ob hanc causam regulariter non est necesse ut in singulari prouincia, vel nationibus sit potestas condendi statuta perpetua: nam si quid peculiare in singulari prouincia necessarium est, per ordinariam prouinciam & ordinationes Praelatorum accommodari potest. Deinde dicitur, vbi aliquod simile statutum necessarium esset, potestas illud condendi potius conuentui prouinciali, quàm Praelato Prouinciali esse illam potestatem committendam, seruando proportionem ad id, quod diximus de cõuentu generali respectu generalium legum. Adde verò vterius, etiam non expedire, ut hæc potestas sit in Capitulo prouinciali, vel etiam nationali, (si fieri contingat) independentem à Generali Praelato, vel Capitulo; quia respectu talis Prouinciæ tale statutum

H

tutum

tutum est etiam res grauiſſima, & ideo fieri nõ debet ſine influxu ſupremi capitis, ſeu tribunalis ſaltem confirmantis, vel approbantis tale ſtatutum, argumento cap. cum aſſiſſent. de Conſtit. ibi, *Actu ſtatutum ipſum auctoritate ſede Apoſtolice fuſſe poſtmodum confirmatum.* Item, quia, ſicut pars non debet diſcordare à toto, regulariter loquendo; ita cum expedit in aliquo diſcrepare, non debet id facere ſine motione, aut conſenſu capitis, vel totius corporis: maxime quando illa diſſonantia in re perpetua futura eſt. Item, quia, cum Generalis debeat habere prouidentiam ſingularum prouinciarum, etiam quoad proprias obſeruantias earum, valde conſentaneum rationi eſt, vt ſine illo ſtatuta perpetua non introducantur. Quanquam autem hæc vera ſint, & conformia rationi; nihilominus non adeo cogunt, vt per ſe inducant neceſſariam obligationem: nec etiam inuenio ius commune, quod præcipiat hæc omnia ita obſeruari, ſicut à nobis propoſita ſunt; & ideo ſemper conſulenda ſunt peculiaria inſtituta, ſeu indulta ſingularum religionum, vt id obſeruetur, quod in vnaquaque fuerit ordinatum, & ab Apoſtolice ſede tacite, vel expreſſe cõfirmatum. Circa vtrunque autem modum præcipiendi ſiue per præceptum ſiue per ſtatutum nonnulla ſuperſunt declaranda.

Primum dubium; An ad obligandum præceptum requiratur conſultatio.

VI.

*Prænotatio
multiplicis
præcepti.*

Primum eſt, an Prælati religionum poſſint præcepta, id eſt, quæ ſtatuta non ſint (ita enim breuitatis cauſa generali nomine pro ſpecifico vtetur,) imponere ſolo ſuo arbitrio ſine conſilio eorum, qui iuxta religionis morem illi aſſiſtunt, & ſunt à conſiliis. Pro reſolutione aduerto, præceptum poſſe eſſe, vel ſpeciale, quod vni perſonæ tantum ponitur, ſiue pro vno actu, ſiue pro multis, aut longo tempore. Vel poſſe eſſe præceptum generale, quod etiam poſſet eſſe duplex, ſcilicet vel ad vnum tantum, vel alium actum, ita vt generale dicatur ſolum ex parte ſubiectorum reſpectiue ad Prælatum præcipientem, quia ſcilicet pro omnibus illius ſubditis ponitur: vel poſſet dici generale etiam ex parte temporis, quia nimirum ponitur vt duraturum vel indeſinito tempore, vel vt daretur quandiu durat Prælati poteſtas, non enim poſſet amplius durare, ſinitur enim per mortem eius, vel elapſo prælationis tempore, vt ſuppono ex materia de Legibus, & de Cenſuris. Quamuis ergo reſponſio ad prædictam interrogationem pendeat ex inſtitutis ſingularum religionum, quia poſſet Prælati vno vel alio modo concedi poteſtas. Conſiderando tamen quod iuri communi, vſui, & rationi magis conſentaneum eſt, dicimus primò, in præceptis, quæ imponuntur particularibus perſonis, niſi valde graua, oneroſa, aut extraordinaria ſint, ſolam auctoritatem, voluntatem, & iudicium Prælati ſufficere abſque alio conſilio, tum quia huiusmodi præcepta ordinaria, & facilia ſunt: tum etiam, quia eſſet valde oneroſum pro ſingulis actibus ſeu perſonis Concilium congregare. In grauioribus autem præceptis, etiamſi vnam tantum perſonam attingant, obſeruare proſectò debent Prælati, vt ea ſine ſufficienti conſilio, ad minimum, à religione præſcripto, vel maiori, ſi negotium id poſſet non imponant. Ratio eſt, quia ſi tale conſilium lege præſcriptum ſit, ſeruandum eſt: ſeclufa autem poſitiua lege, prudentia ipſa poſtulat, vt res grauis non fiat ſine maturo conſilio, cum reſtum in eis iudicium ex multis circumſtantiis, rationibus, & interdum ex ſpecialibus legibus pendeat. Quapropter, ſi aliter fiat, grauiter peccari poſſet, vel ratione poſitiuæ legis, vel ratione temeritatis, & periculi

errandi: & quidem prior obligatio, quæ eſt ex lege poſitiua, æqualis eſt reſpectu omniũ: poſterior autem, quæ ex naturali ratione naſcitur, non eſt ſimpliciter æqualis, ſed proportionalis. Nã vnus Prælatus magis poſſet indigere conſilio, quam alius ad huiusmodi onera imponenda, vt per ſe notum eſt. Vnde à fortiori conſtat, multo magis adhibendum eſſe hoc conſilium, ſi præceptum toti communitati imponendum ſit, maxime, ſi perſeueranter, ſeu pro diuturno tempore imponatur, quia tunc res valde grauis eſt: ſi autem ſit pro vno actu, cuius occaſio, & tẽpus citò tranſit, facilius ferri poſſet abſque huiusmodi conſilio, niſi ſpeciale ius religionis id prohibeat.

An verò vbi hoc cõſilium neceſſarium eſt, ſit etiam de ſubſtantia, & valore præcepti, diſtinctione opus eſt. Nam in primis conſiderandum eſt, an religionis regimen ſit purè monarchicum, vel miſti aristocratico, quale in multis religionibus eſt per definitiorum, quod vocant. In hoc poſteriori modo regiminis conſtat conſilium eſſe de ſubſtantia, quia non ſolum eſt conſilium, ſed iudicium, & definitio, nam ſuffragia non ſunt tantum conſultia, ſed definitiua: vnde poteſtas præcipiendi tunc non eſt propriè in vna Prælati perſona, ſed in conſilio. Exiſtimo tamẽ rarò eſſe adeo coarctatam poteſtatem Prælati quoad præcepta particularia, vel tranſitoria, quæ ad vnum actum dantur. Quando verò regimen eſt purè monarchicum, poteſtas quidem eſt in ſolo Prælato: adhuc tamen conſiderare neceſſe eſt, an conſilium per propriam conſtitutionem poſtulat ad talem actum, ſit de ſubſtantiali forma actus, necne. Aliquando enim de ſubſtantia actus eſt rem in conſilio tractare, quamuis auditis ſuffragiis, validum ſit quod Prælatus ſtatuit, etiam à ſuffragiis conſultentium diſcedat, & tunc ſi conſilium omittatur, præceptum non obligabit, obligabit autem etiam ſi in eo imponendo conſultentium adhibitorum iudicium Prælatus non ſequatur. Quando verò conſilium ſolum requiritur vt actus rectè fiat, præceptum validum erit, etiam ſi conſilio non præmiſſo feratur. Atque hoc vltimo modo intelligo eſſe hoc conſilium neceſſarium vbiunque ſuffragantium vota tantum ſunt conſultia, & Prælatus eſt verus monarcha, niſi aliud ex verbis poſitiuæ legis ſatis conſtet; quod tom. præced. attigimus, tractando de receptione nouitiorũ, & latius in materia de Legibus lib. 3. c. 15. n. 3.

Vnde etiam conſtat, multo magis eſſe neceſſarium hoc conſilium ad alium modum præcipiendi per leges, ſeu ſtatuta perpetua: Et ideo merito talia ſtatuta neque à Prælati fieri poſſunt ſine Capituli ſtatuta neque à Prælati fieri poſſunt ſine Capituli proportionato, vt ſuprà dixi à num. 4. neque à Capitulo ſine conſenſu Prælati: quod etiam iuri communi conſentaneum eſt, cap. nouit. de his, quæ ſunt à prælat. & cap. cum conſuetudine. de conſuetud. Sed in hoc obſeruare oportet diſcrimen inter Capitulum, & Prælatum generalia: nam Generalis ad faciendũ ſtatutum perpetuum ita indiget conſenſu Capituli, vt niſi maior eius pars concurrat, lex condi non poſſit, argumento eorum, quæ communiter tradunt Doctores cap. cum aſſiſſent. de conſtit. Innoc. & Panormit. in c. 2. de noui operis nunciacione. At verò e contraſario licet Capitulum ſine præſentia, & præſidentia Prælati per ſe, aut per ſuum Vicarium legem condere non poſſit, non tamen pendet ex conſenſu, vel ſuffragio affirmatiuo (vt ſic dicam) Prælati: nam ſi maior pars Capituli concordet in lege ferenda, quamuis generalis Prælatus alterius ſit opinionis, præualebit ſententia Capituli, & lex conſtituetur, dummodo pars Capituli ita cedat, vt ſuperet qualitatem, aut prærogatiuam Prælati, ſi quam habet in ſuffragando iuxta religionis ordinationes. Ratio autem eſt, quia poteſtas, vt dixi.

Cap. non sit
de potestate
pro hac
Pontificum.

ut diximus, ad aqua est in Capitulo, & ibi Prae-
latus solum est vnus ex feretibus suffragia, & ad sum-
mum solet eius suffragium duobus aequualere, vel
habere qualitatem vincendi ubi est in numero a-
qualitas, & in hoc differt Capitulum religionis co-
paratum ad suum Generalem, à Concilio gene-
rali comparato ad Pontificem, & à Capitulo Eccle-
sia cathedralis comparato ad Episcopum. Nam in
Concilio generali si Papa nolit, non poterit lex fieri,
etiam si totum Concilium velit: & idem existimo
de Capitulo cathedralis respectu Episcopi
quoad leges grauiiores, quas sine consensu Episcopi
facere non poterit, iuxta cap. cum consuetudine, de
consuet. in Capitulo autem religiosorum secus est,
ut diximus. Ratio autem est, quia ut tract. de fide
cenfui, disp. 5. sect. 8. Papa est supra Concilium;
Capitulum autem generale religiosorum est supra
ipsum Generalem: Episcopus etiam non comparatur
ad Capitulum Ecclesiae, ut ferens particulare
suffragium quoad hoc negotium constituendi legem,
seu constitutionem capitularem, sed ut Superior
habens potestatem confirmandi, vel infirmā-
di legem, secus verò est in Praelato religionis, ut diximus:
& radicem huius declarabimus ex modo
iurisdictionis, & emanationis eius à Summo Pon-
tifici.

IX. Ex quo etiam obiter expeditur aliud dubium, an
Capitulum generale religionis sede vacante, ante
electionem Generalis possit leges condere perpetuo
mansuras. Dicendum est enim ex natura rei, seu
iure communi posse, si eiusdem religionis iura, vel
Pontificia indulta non obstat. Ratio est, quia illud
Capitulum habet supremam iurisdictionem in ta-
lem religionem immediate à Pontifice: & quamuis
tunc religio non habeat Generalem, nō tamen po-
test carere aliquo Vicario, seu Praesidente, qui pro
tunc simul cum toto Capitulo eandem potestatem
habet ad precipiendum, vel statuendum, quam ha-
bere potest Capitulum cum Generali iam electo. Et
ideo non est simile si quis obiciat de Concilio ge-
nerali Accephalo, congregato Pontificatu vacante:
nam illud non habet aequalem potestatem cum
Summo Pontifice, & consequenter nec cum Con-
cilio generali, cui Pontificia auctoritas adest: &
ideo non potest vniuersales leges condere, quae per-
petuo obligent, nisi à Pontifice postea electo fue-
rint approbatae. Maior est similitudo de Capitu-
lo Ecclesiae cathedralis Episcopatu vacante, nam
potest facere diocesanas leges, quae durent, & ob-
ligent, etiam post Episcopi electionem, ut notauit
Fredericus de Senis consil. 16. & sumitur ex Panor-
mitano in c. a nobis. i. de sent. excomm. n. 12. Et ratio
est, quia Capitulum sede vacante habet iurisdictionem
Episcopalem ordinariam, & ideo constituit
legem de se perpetuam, argumento c. vlt. de officio
legati. Est tamen notanda differentia, quia statutū
factum à Capitulo Ecclesiae cathedralis vacantis
potest reuocari ab Episcopo postea electo, ut dicti
auctores docent, & est per se euident, quia est pote-
stas ad minimum aequalis: sicut vnus Episcopus po-
test reuocare legem sui antecessoris. At verò statu-
tum factum à Capitulo totius religionis Generali
vacante, non potest reuocari à Generali postea
electo sine consensu eiusdem, vel similis Capituli.
Ratio est, quia non habet aequalem potestatem, ut
declaratum est.

X. Dixi autem, nisi iura religionis, vel indulta Apo-
stolica obstat, quia posset generali Capitulo com-
mitti iurdictio solum ad eligendum Generalem,
& ad precipiendum, & ordinandum ea tantum,
quae ad hunc finem necessaria essent, vel ad actualē
conservationem, & gubernationem totius religio-
nis pro eo tempore. In quo casu non posset tale Ca-
pitulum ante electionem Generalis leges durabiles
Franc. Suar. de statu relig. Tom. I. V.

condere, quia non habet iurisdictionem ordinariā,
& absolutam, sed tantum commissam ad talem fi-
nem. Constat autem hunc modum concessionis ef-
se in potestate concedentis primò quidem ac per se
in Summo Pontifice, cuius proinde verba, & intē-
tio maximè obseruanda sunt: deinde etiam in tota
religione, nam, si constitutionibus eius ordinatum
esset, ac declaratum, ut Capitulum congregatū ad
electionem Generalis, illo vacante, nihil posset sta-
tuere ante talem electionem, nec aliam iurisdictionem
exercere praeter superius explicatam, id satis
esset, ut non posset nec licitè, nec validè condere le-
ges, quia religio non intendit dare potestatem, nisi
iuxta suas constitutiones. Dices, ipsum Capitulum
posset tales constitutiones mutare, vel in eis dispē-
sare. Respondeo, negandum esse assumptum in pre-
dicto casu: quia etiam isti sunt actus supremæ iuri-
isdictionis, quae, ut supponitur, non est data simplici-
tali Capitulo, sed definitè ad talem electionem,
& mediante illa, simulque cum generali electo ad
leges ferendas, vel mutandas si opus fuerit.

Secundum dubium de conditionibus requisitis ad
obligandum in conscientia.

Secundò circa vtraque praecipua inquiri potest
quae conditiones requirantur, ut inducere valeant
hanc obligationem in conscientia. Hoc verò dubiū
partim resolutum est tomo Superiore tractando de
voto obedientiae, partim coincidit cum generali
quaestione de requisitis ad obligationem legis hu-
manae, vel Ecclesiasticae, quae ex propria materia li-
3. de legib. à c. 15. petenda est. Breuiter ergo, suppo-
nenda est in primis in Praelato potestas, de qua iam
in c. i. dictum est. Secundò supponenda est ex parte
materiae legis, seu praecipii honestas, quae in omni
praecipio humano necessaria est, siue sit intrinseca
ipsi materiae, siue ex fine extrinseco sumi possit, ita
ut materia ipsa nec intrinsecè mala sit, neque ab a-
liquo superiore, maiorem habere potestatem, pro-
hibita, iuxta communes regulas iuris, cap. quod super
his, de maiorit. & obediē. c. in istis. d. 4. cum simili-
bus, quia nemo potest ad malū obligari, neque in-
ferior potest legem superioris auferre, ut in fine hu-
ius capituli pro praesenti materia dicemus. Quando
verò materia est dubia, quid agendum sit dubitari
potest: sed hic etiam locum habent generales regu-
lae de Legibus in lib. 4. c. 11. Distingui enim opor-
tet inter Superiorem, & subditum, superior enim
non debet imponere legem quandiu dubitat, an
materia sit honesta, vel iusta, donec saltem proba-
bile iudicium practicum formet de honestate illius,
quia alias exponit se manifesto periculo errandi;
subditus autem si lex lata sit, tenetur eam seruare,
quandiu non cōstitit esse iniustam, quia in dubio
ius Superioris praesertur, & pro illo praesumitur: vn-
de non obstat illo dubio, quod speculatiuum tūc
est, interuenit certitudo practica, honestum esse tūc
obedire legi. Sed de hoc in lib. de legib. c. 9. n. 10. &
tractatu de conferentia.

XII. Tertiò supponenda est materia apta ad obedi-
entiam religiosam: nō enim quilibet materia honesta
est capax huius obedientiae, sed quae est consenta-
nea Regulae, ut in tomo superiori latè explicatum
est. Quamuis enim praecipitur, ut maneat ex pote-
state iurisdictionis, non funditur directè, & imme-
diatè in voto obedientiae, nihilominus, quia illa iu-
rictio datur accommodatè ad statum religio-
sum, eandem materiam respicit, & ultra illam non
extenditur. Quod, ut declaratur, aduertendum est
ex vi huius iurisdictionis quaedam praecipere posse,
quae communia sunt religionis cum ceteris Chri-
stianis, sicut potest Episcopus aliqua praecipia im-
ponere suis subditis, tam clericis, quā laicis, seruata
proportione.

XI.

Prima con-
ditio potestatis
Praelati.
Secunda h-
onestas mat-
eriae.

XII.

Declaratur
hac senten-
tia
conditio.

proportione: item alia posse præcipi propria religioforum, quæ laicis, vel clericis secularibus non possent ab Episcopo præcipi. De prioribus clarum est sub hac iurisdictione contineri, quia suo modo pertinent ad statum religiosum, quasi præsuppositi, sicut consilia supponunt præcepta, vel perfectio iustitiæ ipsam iustitiam. Denique, licet religio si sint exempti à iurisdictione Episcoporum, non tamen à iurisdictione Episcopali; sed quia debebat esse in Episcopo respectu talium personarum, committitur Prælato religionis, & ideo materia apta ad præcepta Christianorum (vt sic dicam) est etiam apta ad præcepta religioforum. De posterioribus autem præceptis dicimus, materiam eorum accommodandam esse statui vnus cuiusque religiosi, & obedientiæ ab eo promissæ: quia amplior iurisdictione nec data est ex intentione Pontificis, vt tam ex iure communi, quàm ex indultis religioforum facile constare potest, & ex Concilio Trid. sess. 25. de Regul. nec dari poterat, vt existimo.

XIII.
Modus dissoluitur.

Quin potius difficile videri potest quomodo dari possit Prælato religionis iurisdictione Ecclesiastica, quia possit aliquid præcipere subdito suo, quod non possit Episcopus suis præcipere, cum iurisdictione videatur eadem, solumque differat in applicatione ad hanc, vel illam personam. Quocirca, licet in vi voti per potestatem dominatiam aliquid possit præcipere Prælatus religionis suo subdito, quod non possit Episcopus præcipere clerico; tamē quod per potestatem iurisdictionis id possit, difficile apparet, quia iurisdictione hæc solum videtur se extendere ad materiam communem omnibus fidelibus. Tamen idem nodus dissolutus est in superioribus, quia non oportet iurisdictionem illam aequaliter, vel vniuersimter respicere omnes fideles, sed cum proportionem pro statuum varietate, nā ex vi illius aliud potest præcipi clerico, aliud laico, aliud virginī, aliud nuptæ, & sic de aliis, quia, supposito statu, aliud est necessarium ad bonum regimen animæ vnus, aliud alterius. Ita ergo est in religioso: vnde, licet assumptio talis status voluntaria fuerit, tamen illa supposita, cura, & sollicitudo de obseruantia illius ad iurisdictionem Ecclesiasticam pertinet, & ita est in Prælato religionis, futuraque esset in Episcopo nisi in alium esset translata. Hic tamen discursus simul ostendit quod dicebam, materiam huius iurisdictionis non posse extendi vltra materiam accommodatam statui assumpto religionis, & obedientiæ promissæ, quia supponit hanc tanquam conditionem necessariam.

XIV.
Quartū requiritur, vt præceptum sufficienter propositum sit, quia aliās non applicatur ita, vt obligare possit. Hæc autem propositio debet esse accommodata præcepto. Vnde, si sit præceptum priuatum, oportet vt particulari personæ, cui imponitur, sufficienter innotetur, vt per se constat; non oportet autem vt Superior per seipsum præcipiat, satis enim est si id faciat per internuncium fide dignum, vel per literas subscriptas, nisi religio speciali iure postulet aliam ceremoniam in intimando præcepto seruandam, nam tunc modus prescriptus adhibendus est. Vbi tamen similis lex fuerit, attentè obseruare oportebit verba legis, vt constet, an illa forma præcipiendi requiratur solum vt in foro exteriori constet de imposito præcepto, an verò etiam ad substantiam, & valorem præcepti: frequentius enim existimo priorem esse sensum talium legum, & tunc ad obligationem in conscientia satis erit, vt voluntas Superioris præcipientis quacumque via innotescat sufficienter: & hoc est obseruandum, nisi in aliquo casu aliud expresse dispositum sit per humanam legem. In quo idem cum proportionem dicendum est de præceptis, quæ à Prælati feruntur pro tota communitate, non sub ratione statuti, sed

Quid pro
imp. suo toti
communi-
tati.

præcepti tantum, nam est eadem ratio, proportionem seruata: in statutis autem necessaria est solennis promulgatio, quia hæc est de ratione legis, illa autem statuta sunt veræ leges. Modus autem promulgationis, si per proprias constitutiones religionis fuerit definitus, seruandus est, & antequam constitutio sit tali modo promulgata, non obligabit in conscientia, etiam si priuatum constet esse conditionem. Si autem nullum de hoc fuerit ius priuatum, recurrendum erit ad consuetudinem, quia ex solo iure communi non videtur posse aliquid certum definiri: quia de legibus religioforum nihil peculiare ius disponit, imò & in aliis legibus, civilibus, vel Ecclesiasticis, non est idem modus promulgationis, & difficile ad mores religioforum applicatur, vt statim dicam. Consuetudo ergo seruanda est, quia ipsa potest in hoc habere vim legis.

Quia verò non semper de consuetudine constat, vel nulla certa est, dubitari potest, an ex natura rei necessarium sit constitutionem editam promulgari in singulis monasteriis, seu domibus religionis. Nam in legibus Ecclesiasticis cum proportionem sumptis, hoc non est necessarium; lex enim Pontificia sufficienter promulgatur Romæ; Episcopalis in cathedrali Ecclesiâ; regia in Curia Regis: & sic de aliis: nec necessarium est, vt leges in singulis Ecclesiis, vel oppidis promulgentur: ergo similiter in presenti non erit necessaria promulgatio in singulis domibus. In contrarium autem est, quia Prælati religionum non habent quasi proprias sedes, vel curias, in quibus huiusmodi promulgationem facere possint: & ideo necessarium videtur vt faciant illa per totam religionem, & consequenter per vniuersas domus eius, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio, & quia aliās non fieret promulgatio toti religioni. Item, quia communitas religiosa magis in personis, quàm locis continetur, & ideo requirit promulgationem, quæ ipsi communitati personarum directè fiat: hæc autem fieri non potest, nisi fiat in omnibus locis, in quibus pars illius communitatis existit.

Respondendo, hunc modum promulgationis esse satis accommodatum, mihi quæ optimum videtur, maxime quando leges pertinent ad singulos, vt tollantur ignorantia, & excusationes: absolute autem non est necessarium. Nam in primis, si statutum factum est in Capitulo generali, sicut in illo adest tota religio ad condendam legem, ita si ibi promulgetur, tota religio ibi etiam adest ad audiendum: ergo illa promulgatio ex natura rei potest esse sufficiens in suo ordine. Vel certe iuxta canonica iura, illa solennis editio habet vim promulgationis. Dico autem, in suo ordine, quia illa non satis est vt statim obliget omnes religiosos vbique existentes, sed tempus sufficiens, vt notitia legis ad alia loca diffundatur, præterire necesse est: & ad curam Prælatorum pertinebit providere quomodo talis notitia diuulgetur vel per literas missuas, vel voce eam proponendo in locis, aut personis, prout expedire aut sufficere iudicauerint, iuxta materiam ipsius legis. Nam, si legis actus ad solos Prælatos pertinet, satis erit ipsi notitiam dare, & grauioribus personis, quæ proximè possunt talia munera obire: & idem est cum proportionem, si ad alios hoc vel illud ministerium agentes pertineat: si verò spectet ad omnes religiosos, maior publicatio facienda est, fiet tamen facile per publicam notitiam, & traditionem, etiam si specialiter in singulis monasteriis autoritate publica non proponatur. Atque idem dicendum cum proportionem est de statutis Provincialibus, vbi fuerit sufficiens autoritas condendi illa.

Quinta conditio ad obligationem legis necessaria

aria esse solet, ut ad subditos feratur: quæ sequitur ex prima, quia potestas hæc ferendi leges est respectiva, & terminatur ad subditos. Tria verò puncta in præfenti occurrunt circa hanc conditionem. Primum est de nouitiis, an in numero subditorum ponendi sint, qui præceptis Prælatorum in conscientia obligari possint? De qua re multa in tomo superiori diximus, tractando de nouitiis, & nihil ferè addendum occurrit, quod ad hunc locum propriè pertineat. Solum est præ oculis habenda illa duplex potestas Prælati religionis, scilicet dominatiua, & iurisdictionis: neutra enim quatenus est propria religionis, habet locum in nouitiis, quia nec votum obedientiæ emiserunt, nec se subiecerunt propriè ut religio, & hac ratione per ordinaria præcepta, vel leges proprias religionis, non possunt in conscientia obligari. Tamen, quia pro eo tempore sunt sub pastoralis cura Prælatorum religionis, poterunt ab eis obligari in his, quæ per se cadunt sub iurisdictione Episcopali sine speciali respectu ad professionem religionis, ut v. g. ad dicendam veritatem in casu occurrenti, in quo legitime interrogatur, vel ad cauendam talem peccati occasionem, vel restituendum ablatum, cogendo etiam per censuram, & similia, quæ ad ordinariam iurisdictionem Episcoporum pertinent, & non possunt ab Episcopis exerceri circa nouitios exemptarum religionum. De qua re plura in sequentibus, præsertim. c. 17. & 24.

nem omitam, quam in materia de Legibus lib. 3. c. 35. tradidit: in præfenti existimo, hac conditione datam esse potestatem Generali, vel immediatè à Summo Pontifice, vel mediante ipsa religione, ad leges ferendas, ut ipse eas obseruare teneatur, quando ratio, & materia legis illis communis est, quia potestas data est illi in ædificationem, non in destructionem: esset autè magna dissipatio religionis disciplinæ, si Prælati non obseruent constitutiones generaliter ad omnes pertinentes. Vnde etiam existimo, per huiusmodi transgressionem fieri reos penarum, quamuis nec eam in seipso exequi cogatur, neque, si ipso iure imposita sit, illam ipso facto incurran: quia si sit censura aliqua, non possunt illam in seipso ferre, si verò sit alia poena, non cogunt illam exequi per seipso, nisi forte sit aliqua poenitentia religiosa occulta, ad quam possint religiosi in conscientia obligari nam tunc illa magis reducit ad vim directiuam: poterunt autem propter talia delicta puniri à Superiore, si intra religionem illum aliquando habere potuerint, vel saltem à Summo Pontifice: quia reatum poenæ contraxerunt, etiam quoad iudicium humanum. Atque idem dicendum censeo de toto Capitulo generali, si contingat delinquere contra obseruantiam regularem, non ut singulis, sed ut vniuersis, nam reuera committit delictum etiam in foro humano, quamuis ex defectu Superioris puniri non possit nisi à Summo Pontifice.

Vnde etiam constat quid dicendum sit de præceptis, seu ordinationibus, quæ non sunt leges, & à Prælati per se solis, & præsertim supremis, facilius possunt imponi. Eodem enim modo dicendum censeo, si talium præceptorum materia, & ratio ipsis Prælati communis sit, teneri eos in conscientia ad eorum obseruationem, vel ex illo generali principio, quod Princeps tenetur seruare suas leges, quod per identitatem rationis extendendum est ad præcepta generalia, etiam si non constituentur sub stricta ratione legis: vel ex voluntate interpretatiua totius religionis, & pacto implicito cum ipso Prælato, quia hæc conditio necessaria est ad illud munus debite exercendum, & ideo cum hoc onere dari, & acceptari videtur. Atque eadem proportione de ceteris Prælati, intra suos terminos aliquid precipientibus, iudicandum est, de Prouinciali scilicet quoad statuta Capituli Prouincialis, & quoad præcepta generalia ab ipso lata pro tota Prouincia, & de conuentuali Prælato quoad præcepta, quæ fortasse pro suo conuentu generaliter imponit, nam omnium est eadem seu proportionalis ratio. Secus verò est de Superiori Prælato respectu receptorum, quæ ab inferiori lata sunt, quia nullo modo est illi subiectus, nec ex vi sui muneris tenetur se conformare præceptis illius, nec directè, nec indirectè, neque ex vi alicuius pacti impliciti, ut magis ex sequenti puncto patebit.

Tertium punctum est de hospitibus, seu peregrinis, an obligentur legibus seu præceptis eius prouinciæ, vel domus, in qua ad tempus existunt. Quæ interrogatio non habet locum quoad statuta, vel præcepta generaliter lata pro tota religione: nam constat illa ab omnibus, & vbique esse seruanda: contingit autem in vna prouincia esse propria statuta, quæ non sunt in alia, & in vna domo aliquid ex præcepto peculiariter obseruari ab omnibus ibi habitantibus: de his ergo procedit talis ratio. Ad quæ primum generaliter dicimus, consulendum esse institutum religionis, quoad constitutiones eius: nã, si aliquid in eis est circa hoc declaratum, illud est obseruandum, quia constitutio sufficit vel ad limitanda, vel ad extendenda talia præcepta, ut obliget, vel non obliget tales personas. Secundo, secluso iure speciali, illa, quæ sunt pura præcepta generalia, &

XVIII. Secundum punctum est de ipso Prælati supremo religionis, an obligetur præceptis, vel statutis eius. In quo nullum est dubium de statutis latis in Capitulo generali, quia, ut sæpe dixi, Capitulum est supra ipsum Generalem, & ideo suis legibus æquè obligat Generalem ipsum, ac ceteras singulas personas, quæ sunt de Capitulo. Vnde ite, ut non solum obligent quoad vim directiuam, sed etiam quoad coactiuam, quia sunt leges Superioris, & ideo in eis non habet locum illud principium, quod Princeps obligatur sua lege quoad vim directiuam & non quoad coactiuam. Et hinc merito in religionibus, in quibus Generales temporales sunt, solent finito tempore puniri, si constitutiones transgressi sunt, quia de se fuerunt rei facti poenæ, quamuis pro eo tempore, pro quo erant Generales, non potuerint puniri ex defectu Superioris intra suam religionem, nam à Papa possent iuste puniri, si de huiusmodi delictis cognosceret. Imò etiam, durante Generalatu, vel ubi perpetuum est, si generale Capitulum congregetur, poterit de similibus transgressionibus cognoscere, & eas punire, quia, ut dixi, iurisdictione superior est. Quod si alicubi ex speciali instituto Capitulum non habet hanc potestatem, illud necessario esse debet ex speciali Pontificis concessione, aut reseruatione, & ideo ad illud recurrendum erit pro talium criminum emendatione.

XIX. Sed quid, si Generalis habeat potestatem ferendi leges perpetuas, solus, & sine Capitulo? nunquid obligabitur illis in conscientia? Respondeo in primis, nullam esse religionem (quantum asserimus) in qua solus Generalis talem habeat potestatem: ad minus enim requiritur concursus aliquorum Definitorum, seu Consiliariorum, quocumque nomine vocentur, qui in lege ferenda non solum votum consultiuum, sed etiam decisiuum habeant. Et tunc illud tribunal in eo actu habet supremas vices totius religionis, ideoque est supra ipsum Generalem, potestque illum lege obligare, sicut de Capitulo generali dicebamus. Admissio autem illo casu, videtur esse idem iudicium, quod de illa questione generali, an Princeps suis legibus obligetur, in quo certum censeo obligari quoad vim directiuam, ut alias rationes, & longam disputationem Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

XX.

XXI.

non propria statuta, non obligant religiosos aduenas. Probatur à simili ex c. a. n. b. i. de senten. excōmun. ubi declaratur, sententiam latam vel per generale præceptum Praelati tantum obligare subditos. Unde omnes colligunt, nō comprehendere peregrinos, qui intra diocesim versantur: ergo idem dicendum est in præfenti, seruata proportione. Ratio autem à priori est, quia præceptum directè fertur ad personas, & ideo nō potest obligare nisi subditos; peregrini autem simpliciter non sunt subditi, sed solum quoad ea, quæ pertinet ad vniuersale regimen religionis. Dices, inde posse sequi scandalū, si ceteri videant, religiosum non seruare commune præceptum. Respondeo, hanc circumstantiam esse accidentariam, quæ si aliter vitari non possit, tunc orietur obligatio non ex tali præcepto, de quo agimus, sed ex lege charitatis. Deinde scandalum illud facile auferri posset, nam fundatur in ignorantia, vel facti, quia non cognoscitur talis religiosus ut hospes, vel quia putatur hospes teneri eisdem præceptis, utraque autem ignorantia potest facile tolli; & in hoc videntur Doctores conuenire.

XXII.

De statutis autem, quæ vere sunt leges perpetuæ, idem esset dicendum iuxta opinionem, quæ tenet, non subditos peregrinos in aliena diocesi, non teneri ad seruanda propria illius statuta, nisi ratione scandali. Quod nonnulli moderni ex illo principio docent in præfenti questione: sed reuera illud principium minus probabile est, & contrarium est magis consentaneum iuri communi, & rationi, ut in materia de Legibus probauimus lib. 3. c. 33. & lib. 2. de dieb. festis, c. 14. Aliaratione possent religiosi excusari ab hac obligatione, quia nimirum statuta particularia ideo solent obligare peregrinos, quia directè respiciunt territorium aliquod, intra quod aliquis habet iurisdictionem, ut præcipiat, vel prohibeat aliquid fieri inter terminos illius diocesis, à quocunque ibi assistente: statuta autem religiosorum non habent huiusmodi vim seu rationem; quia nō accommodantur territorio, sed personis. Ut enim notauit Innocentius in c. dilecti. de excess. prælator. in principio, duplex est communitas, alia realis, quæ constat ex territorio, alia personalis, quæ solum constat ex personis, ut est Academia, v. g. & Collegium, de quibus sermo est in l. ult. C. de iurisd. omn. iud. Religiosa ergo communitas in hoc secundo ordine continetur, & ideo leges eius non respiciunt territorium, sed personas: ergo non possunt hospites comprehendere, nam præcepta ideo dicebamus non obligare hospites, quia non respiciunt directè territorium, sed personas.

XXIII.

Nihilominus contrarium ut probabilius, & securius sentiendum, & asserendum est, ut generaliter sentiunt glossa, Innocentius, & Panormitanus in d. c. a. n. b. i. & sumitur ex c. quæ contra moris. 8. d. ibi. *Præceptum, ut in seculis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nulli estis aut peregrini libere violetur.* Vbi expendo illud verbum, *aut gentis*, quæ hominum communitatem eodem more viuentem comprehendunt. Pondero etiam illa verba, *legi, aut consuetudine*, & ex illis conficio nouum argumentum: nā religiosus, qui in aliqua provincia versatur, tenetur receptam consuetudinē illius provincie seruare: ergo à fortiori statuta. Antecedens patet, quia clericus tenetur se cōformare cōsuetudini Ecclesie, in qua versatur: ergo & religiosus, seruata proportione; nā, si rationem naturalem inspicimus, eadē est in vtroque: sius positium, nullum est, quod in religiosis quoad hanc partem aliquam exceptionē faciat. Præterea, quamuis religiosa cōmunitas præcipue consistat in personis, tamen, quatenus habet certas provincias, quæ certis terrarum terminis, aut certo domorum numero distinguuntur, habet suum modum territorij, pro quo possunt statuta

fieri: ergo eodem modo obligabunt hospites, sicut solent statuta Episcopalia obligare peregrinos.

Potest autem aliquis interrogare, an hoc locum habeat etiam in superioribus Praelatis, quando in aliquibus locis variantur: ut v. g. Generalis cum est in aliqua provincia, an teneatur se accommodare propriis statutis, & consuetudinibus illius provincie: & idem est de Provinciali respectu alicuius cōuentus, habentis specialem obseruantiam abstinentiæ à carnibus, vel quid simile: in illis enim est peculiaris ratio dubitandi, quia sunt Superiores, qui nō tenentur se subdere legibus inferiorum; statutum autem Provinciale respectu Praelati generalis, est inferioris ordinis, factum scilicet à provincia sibi subiecta: & eadem proportio est de Provinciali respectu statuti, vel consuetudinis vnius cōuentus, & præterea esset valde onerosum his Praelatis dū singulas provincias, vel domos visitant, singulorum moribus sese accommodare. Respondeo supponendo semper, in his, & similibus rebus standum esse constitutionibus, vel receptis consuetudinibus singularum religionum: his ergo remotis, loquendo ex vi iuris cōmunis, idem dicendum censéo de ipsis Praelatis, quod nimirum dum hospites sunt teneantur seruare mores locorum in quibus versantur: tum quia hoc exigit ipsa generalis ratio societatis: tum etiam, quia ibi interuenit aliud generale præceptum, quod hospites obligat sese conformare moribus locorum; hoc autem nō est vnius loci, vel provincie, sed commune omnibus, & ideo prælatos etiam obligat. Tum denique, quia nullum statutum religionis potest habere vim legis perpetuæ, nisi ab ipso Generali confirmatum sit, & ideo, licet non sit vniuersale pro omnibus locis, non potest dici latum ab inferiori prælato, ac proinde eadem ratio obligationis in illo erit, quæ in ceteris.

Tertium dubium quantum obliget præceptum possum à Superiore.

Tertium dubium hic esse potest de quantitate huius obligationis in conscientia; an extendatur etiam ad culpam mortalem. In quo certum est, potestatem ad hoc extendi: quia si cōsideretur ut fundata in voto, illud ex suo genere obligat sub mortali; si verò ut est iuridictio, illa etiam perfecta est, & ideo se extendit ad obligationem materiae, & rei præceptæ conuenientem: qua ratione constat, non solum in Pontifice, sed etiam in Episcopis esse hanc potestatem: illam ergo participant religioni Praelati. Difficultas ergo est de vfu, seu actuali obligatione, id est, quando præceptum Praelati tale sit, ut obliget sub mortali. Hoc autē ex generalibus principijs legum definiendum est, accommodando illa ad talem statum. Supposita ergo potestate, de qua iam dictum est, duæ conditiones necessariæ sunt, materia capax talis obligationis, & voluntas praelati. Circa priorem solum est aduertendum, aliquam actionem, vel materiam secundum se spectatam posse videri leuem, quæ in tali statu, ratione finis, & circumstantiarum sit grauis: quia eius dilatio in tali statu potest religioni asserere grauenocumtum. Circa posteriorem obseruandum est, communem morem religionum esse, ut ordinata præcepta Praelatorum, quæ ore tenus fiunt, non censeantur ita obligare, ut, si absque contemptu, ex negligentia, vel alia occasione omittatur, transgressio sit mortalis, etiam si materia sit grauis, & verba sint præceptiua, vel in actu signato, ut *manus præcipi*, vel in actu exercito, ut *fac, recita*, &c. Cuius ratio non est, nisi quia ex vfu illa verba non satis indicant in prælato voluntatem obligandi, ita sumitur ex D. Bern. lib. de Præcepto & dispens. c. 12. & S. Thom. 2. q. 186. a. 9. vbi late Caietanus, & Nau. c. 23. num. 31. & 32.

& sequent. clarius id docet D. Ant. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 9. Gerlon p. 2. Alphab. 32. lit. L. consider. 6. & Alphab. 34. lit. M. Angles p. 2. q. de Voto, art. 2. difficult. 16.

XXVI. Vnde ulterius addo, si Praelatus precipiendo addat verba, quibus satis indicet voluntatem obligandi in conscientia iuxta materiam capacitatem, tunc, supposita materiam gravitate, obligationem esse sub mortali. ita docent omnes, & est clarum ex dictis. Quæ autem sint hæc verba, aut signa, ex usu vniuscuiusque religionis sumendum est; communia autem sunt, cum Superior precipit *in virtute obedientia*, aut *in virtute sancta obedientia*; in aliquibus etiam sufficit dicere, *in nomine Domini nostri Iesu Christi*. Idem censendum est, quando præceptum ponitur sub excommunicatione. Et quidem, si excommunicatio imponatur ipso facto incurrenda propter præcepti transgressionem, res est indubitata, quia excommunicatio non incurritur nisi propter peccatum mortale. Si autem solum adiungatur excommunicatio ferenda, aliqui putant non esse sufficiens signum, quia non statim incurritur censura per illum actum, sed requirit novam contumaciam, ut imponatur. ita sentit Angles supra; & Caiet. in Summa, verb. *Cle uorum punita*. & verb. *Præcepti transgressio*. Alij vero communiter sentiunt, etiam illud esse sufficiens signum obligationis sub mortali, nisi aliquibus indicijs sufficienter constet illam esse meram comminationem externam. ita sentit Caiet. dict. art. 9. Nauarr. dict. cap. 23. n. 53. Caffro 1. de Lege pen. c. 5. docum. 4. ad fin. & Sylu. ver. *Præceptum*. q. 3. Angel. verb. *Lex*. §. 3. Tabiena eod. ver. §. 28. S. Antonin. dict. §. 9. Qui generaliter loquuntur de quocunque præcepto Ecclesiastico, quia per transgressionem talis præcepti efficitur quis dignus excommunicatione, non autem sit dignus nisi per peccatum mortale, etiam si excommunicatio per iudicem ferenda sit. Propter quod probabilior est hæc sententia; videtur autem mihi longe certior inter religiosos, inter quos etiam raro, vel nunquam proponitur hæc censura per meram comminationem, sed ad explicandum præcepti rigorem, sufficienter ergo indicat voluntatem obligandi, per se, ac regulariter loquendo.

Quartum dubium de Excusationibus obligationis in conscientia.

XXVII. Quarto dubitari potest, an possit religiosus ab hac obligatione aliquo modo excusari. Quod dubium intelligi debet, perseverante voluntate Superioris precipientis, & volentis obligare: nam si ipse reuocet præceptum, vel si finiatur terminus, pro quo positum erat, iam illa erit non excusatio, sed cessatio obligationis, & præcepti, dummodo reuocatio valida fuerit de quo infra in proprio capite dicemus. Durante autem præcepto, contingit in alijs legibus excusatio vel per ignorantiam, vel per necessitatem, aut coactionem. De priori certum est etiam in præsentem posse interuenire, siue sit sermo de ignorantia facti, siue iuris, cum hæc præcepta humana sint. Quando autem hæc ignorantia inuincibilis sit, ex generalibus principijs expendendum est. Solum hic aduertimus, ignorantiam proprii iuris non facile esse excusabilem in religioso, quia maiori obligatione tenetur illius notitiam, & frequentem memoriam habere: præsertim quoad eas leges, quæ sub culpa obligant. Altera item excusatio locum habet in præsentem materia, quia præcepta hæc de quibus agimus humana sunt, & ideo non obligant cum tanto rigore. Item, quia voti executio non obligat in simili euentu: ergo similiter, &c. Dices, hoc solum habere locum, quando rationabiliter præsumitur, intentionem superioris non fuisse obligare pro tali euentu, quod est

contra suppositionem paulo ante factam, qua dicebamus, quæstionem procedere durante præcepto, & voluntate Superioris. Respondetur, illud intelligi de præcepto, & voluntate generali ac perse; non de voluntate particulari etiam ex suppositione talis circumstantiæ; sicut quando interuenit ignorantia, perseverat præceptum, & voluntas Superioris, non quidem obligandi cum hac reflectione, etiam interueniente ignorantia, esset enim irrationabilis voluntas; sed generaliter quantum est ex se.

Sed quid, si voluntas Superioris sit obligandi, etiam in eo casu particulari, non obstante coactione, mortis periculo, vel alia simili necessitate. Respondetur, in hoc duplicem esse posse quæstionem. Vna est, an precipere hoc modo excedat potestatem Praelati religionis, ita ut, licet velit, non obliget. Altera est, quando censendum sit ita velle, & rationabiliter velle. Circa priorem quidam simpliciter affirmant, id esse supra talem potestatem. ita sentiunt Tabiena verb. *Episcopus*. §. 5. concl. 5. & sentit Armilla verb. *Ob. dicitur*. n. 5. citans D. Th. 2. 2. q. 104. art. 5. dicentem, in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, vel conseruationem, non teneri subditum parere Superiori. Fundari possunt primo, quia tota hæc obligatio radicaliter fundatur in voto obedientiæ, & consequenter in intentione vouentis: nullus autem intendit se obligare ad parendum in huiusmodi euentu. Item, quia tantum obligatur religiosus ad obediendum secundum Regulam; Regula autem non precipit res adeo difficiles, nec cum tanto discrimine: ergo. Vnde infert Armilla, non posse Praelatum religionis precipere subdito, ut assit in infirmo tempore pestis.

Nihilominus dicendum est, hunc modum precipiendi non excedere potestatem Praelati religionis. ita tenet Caiet. tom. 3. Opuscul. tract. 9. qui est de hac re, & sumitur ex eodem & communi sententia 1. 2. q. 96. art. 4. Et ratio est, quia Praelatus religionis est vere Superior, habens potestatem ad omnia, quæ ad perfectam gubernationem inter homines necessaria esse possunt; hic autem modus obligationis sæpe necessarius est. Vnde Principes seculares, & Ecclesiastici hanc habent potestatem, ut latius in materia de Legibus lib. 3. c. 30. ostendimus. Explicatur exëplis, nam si religiosus ægrotet morbo contagioso, potest Praelatus precipere alteri, ut ei ministraret, etiam cum periculo vitæ; quia illud est necessarium ad conueniens regimen monasterij, & ad conseruationem atq; adeo ad commune bonum eius: præterquam quod charitas de se obligat hoc corpus religiosum ad subueniendum partibus, quibus constat, aliàs ei periculum imminet. Vnde quando hæc obligatio est quasi indifferens, & non applicata ad certam personam, penes Superiorem est potestas applicandi illam; aliàs esset inefficax, nec posset conuenienti modo ad effectum perducere. Deinde potest Praelatus precipere religioso, ut tempore pestis assit, si ita expediat ad commune bonum, & aliquo modo pertineat ad obligationem talis religionis, vel ex peculiari institutione, vel ex graui necessitate occurrente: quia etiam in his casibus pertinet ad munus Praelati eis providere: habet ergo potestatem accommodatam. Denique, interdum potest precipere longam nauigationem, etiam si habeat periculum annexum, ut ostensum est tomo præced.

Nec fundamenta contraria difficultatē habent. XXX. Ad D. Thom. enim recte respondit Caietanus, ea, *Ad primum* quæ pertinent ad conseruationem naturæ, per se *fundam. in* non cadere sub præceptum humanum, id est, per *1. 2. q. 100.* se, & directe non posse prohiberi, si necessaria sint; nec contraria precipi: per accidens vero precipi posse, precipiendo nimirum actum, cui coniunctum

est periculum contrarium conseruationi naturæ. D. Thomas ergo in priori sensu loquitur; potestas autem hæc, de qua agimus, solum posteriori modo se extendit ad huiusmodi malum contrarium naturæ. Et ratio à priori est, quia per huiusmodi præceptum non præcipitur fieri aliquid naturæ contrarium, sed præcipitur permitti, seu pati, si necesse sit: quod est rationi consentaneum, & interdum bono communi necessarium, ideoque sub potestatem humanam cadit. Ad aliud fundamentum respondetur, potestatem hanc immediate ac formaliter esse iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ ad huiusmodi præcepta extenditur. Quia vero aliquo modo supponit professionem religiosam ut fundamentum, ideo dicitur ulterius, ex vi professionis subditi religiosum huiusmodi præceptis, quatenus sunt consentanea tali statui, & corpori religionis, cuius pars efficitur per præcipiendum etiam cum periculo vitæ ratione sui status ac professionis. Quapropter etiam si religiosus dum vouet obedientiam, expresse non intendat obligare se ad obediendum in his casibus, implicite id intendit, imo, etiam si velit, non potest hanc intentionem excludere, quia repugnat intentioni proficendi. Vnde hoc genus præcepti non excedit ea, quæ sunt consentanea regulæ, ut declaratum est non enim dicimus, posse Prælatus pro arbitrio suo præcipere, sed quando ad bonum religionis, vel ad debitum munus, vel ministerium eius sit pertinet: quidquid autem huiusmodi est, spectat ad regulam religiosam, ut supra vidimus.

XXXI.

Atque hinc fere responsum est ad alteram questionem: iam enim declaratum est quando Prælatus rationabiliter hanc habet voluntatem, seu intentionem. Vnde vel ex verbis eius expressis, vel certe ex re ipsa intelligi poterit talis voluntas. Ad hoc autem magis explicandum aduerto dupliciter coniungi hoc periculum actioni præceptæ, scilicet, omnino per accidens, & præter intentionem ac præcisionem præcipientis, & per se aut de facto hic & nunc cum præscientia præcipientis. Quando accidit priori modo, regulariter excusabitur quis à præcepto, quia non intercedit voluntas præcipientis, cum nihil sit volitum si non sit præcipiendum: nec etiam præsumitur, quia ordinaria conditio præcepti humani est, ut non obliget cum tanto rigore, neque aliud esset rationi consentaneum, quia non esset moraliter tolerabile. Dico autem, regulariter, quia si in re ipsa intercederet magna necessitas religionis, & oppositum vergeret in grauem ignominiam, vel detrimentum eius, tunc sine dubio præceptum obligaret vel ex natura rei, vel ex implicita voluntate præcipientis, sicut de præceptis Ecclesiasticis est communis doctrina. Quando vero periculum inest posteriori modo in re præcepta, clarum est, voluntatem præcipientis esse obligatæ, non obstantem tali periculo, & per se loquendo, præsumitur talis voluntas rationabilis, nisi oppositum manifeste constet. Quæ doctrina communis est quoad vtramque partem, sumiturque ex D. Th. 2. 2. q. 120. Caietano ibi, & 12. q. 96. ar. 4. & 6. Soto 2. de Iustit. q. 5. ar. 8. Castro li. 1. de Lege pen. c. 5. docum. 5. Nau. c. 23. n. 43. Sylu. verb. Præceptum. q. 3.

CAPVT IX.

*Virum in Prælatiis religiosi sit potestas coercitiua
suum in uniuersum, eum speciatim ad
pœnas spirituales.*

- I. Quid in his Prælatiis aliqua sit potestas huiusmodi, id manifestum est, tum ex usu, tum ex ratione, quia potestas directiua sine aliqua coerci-

tione, infirma ac fere inutilis est, quia sine timore ac disciplina non potest communitas humana in officio contineri, quantumvis bona videatur in hac vita mortali; quia corpus, quod corrumpitur, & grauatur animi, & caro conuulsi, cens aduersus spiritum, sepe vincit, ideoque spiritus in die cadit in suum. Est igitur omnino necessaria hæc potestas, ut ordo, pax, & institutio religiosa conseruetur. Explicandum vero est, qualis & quanta sit. In quo distinguere iterum oportet in statum religioso, id quod habet quasi ab intrinseco ex pura natura sua, vel quod habet ab extrinseco superadditum ex prouidentia, & liberalitate Pontificum.

Dicendumque primo est, Prælatus religionis ex vi talis status, seu professionis, ac voti obedientie subditorum, solum habere potestatem coercendi modo paterno, & iuxta limites Regulæ. Probatur, ac declaratur, quia ut sic non habet iurisdictionem, sed potestatem dominatiuam in illarum domus, quam habet paterfamilias in domo sua: solum enim differunt, quod hæc circa exteriora, & corporalia, illa vero circa spiritualia præcipue versatur. In hoc autem conueniunt, quod neutra est proprie iurisdictionis, vnde neuter etiam illorum est proprie iudex, qui possit grauem poenam corporalem, vel spirituales imponere; sed solum eam correctionem adhibere, quæ inter latitudinem familiaris domus ac prouidentie locum habere potest. Qualis autem, vel quanta esse possit hæc poena, iudicio prudentis arbitrij relinquendum est, ut considerato usu, & communi more hominum id iudicet. Exemplo monialium id ita declaratur. nam in eis est potestas aliqua coercitiua iuxta regulam, licet iurisdictionem non habeant; illæ tamen non excedunt religiosam disciplinam per leuiiores poenitentias. Quod si grauior punitio necessaria est, ad Prælatus recurrere oportet. Eodem modo in religionibus virorum Vicarius, licet iurisdictionem non habeat, potestatem aliquam coercitiuam habet, quæ ultra leues, & ordinarias poenitentias non se extendit. Itemque fuisse olim obseruatum in religionibus quando Præpositi sacerdotes non erant, nec iurisdictionem habebant, intelligi potest ex Regula Augustini, nam circa finem sic ait, *Præpositum quam patri obediatur, multo magis Presbyteri, qui omnium vestrum curam gerit. Ut ergo cuncta ista seruentur, & si quid seruatum minus fuerit, non negl. genter prouideatur, sed ut emendandum, corrigendumque iuretur, ad Præpositum præcipue pertinet, ut ad Presbyterum, cuius est equalis vos maior auctoritas, referat quod modum, vel vnde quis excedit.* Denique hæc potestas solum fundatur in voto obedientie, & ab illo quodammodo manat, & ideo non excedit communem & regularem intentionem sic vouentium: imo fortasse ipsi non possent dare maiorem potestatem supra scriptos, nisi à publica potestate descenderet, ut ex dicendis patebit.

Dico secundo, Prælatus religionis ratione iurisdictionis Ecclesiasticæ habet perfectam potestatem coercitiuam Episcopalem. Hoc constat etiam ex usu, & ex privilegijs omnium religionum exemptarum: quæ enim exemptæ non sunt, non habent reuera hanc potestatem in seipsis, vel in suis intrinsecis Præpositis (ut ita dicam) sed manet in Episcopis, qui illam sine dubio non habent in moniales sibi subiectas; & idem est de viris, si exempti non sunt: ergo in exemptis talis iurisdictionis residet in proprijs Prælatiis: non enim extincta est, nec Summo Pontifici reseruata, nec enim expediebat, cum sit ordinariæ, & regulariter necessaria: ergo translata est in religionem ipsam, & Prælatus eius per Summos Pontifices, non quidem iure communi, sed speciali, ut supra tetigit, quod proinde considerandum est. Addit Nau. Comm. 2. de Reg. n. 63. hanc iurisdictionem.